

Turfo Præpositus Viennensis in documento quodam Anno 1430. confecto ex Dominorum ordine sequentes testes & inter illos Wolffgangum Zinzendorffium hujusce modi allegat: Præsentibus ibidem Nobilibus ac Generosis Viris, Dominis, Georgio de Neytperg, Wilhelmo de Toppel, Cadoldo Wolffgango & Antonio fratribus de Wehing, Sigismundo de Wildungsmaur, & Wolffgango de Czinendorff Baronibus Stiriaë & Austriaë terrarum, testibus. (k) Benedictus Abbas in Seitenstätten/ & Christophorus de Zinzendorff lites inter se agitas amicabili compositionis via Anno 1439. finiunt. (l) Georgius & Bernardus Zinzendorffii instrumento renuntiationis à Margarethâ Streünia fratri suo Ottoni Domino de Zelcking factæ, sua sigilla apponunt Anno 1472. (m) Georgius de Zinzendorff citatur in documento quodam de Anno 1475. (n) Inter illum & Christophorum de Toppel controversia diù agitatâ sententiâ judicis sopitur Anno 1494. (o) Christophoro Zinzendorffio & Margarethæ Auerspergiaë lis ab Administratore Episcopatus Ratisponensis Duce Bavariaë, coram judicio Imperiali - Aulico Anno 1508. mota fuit. (p) Idem Christophorus de Zinzendorff titulum hæreditarii per Austriam venationum Præfecti Anno 1528. gessit (q) supremisque tabulis Anno 1535. confectis filio suo Stephano arces Haufleck, Berwarth/ Carlstetten/ Toppel, Hausenbach/ Advocatiam in Kureberg/ & aliis in locis, item jus hæreditarium in Castrum Wasserburg cum Præfecturâ Obfeit/ filio autem Johanni, dominia Pottendorff, Feistriz, Scharffeneck, cum duabus Advocatiis Kuenringia & Zvvetthalensi, domumque Viennaë sitam reliquit. (r)

(a) Monumentum Liliensfeldense (b) Archivum statuum. N. 96. (c) Ibi N. 97. (d) Ibi N. 630. (e) Ibi N. 1356. (f) Ibi N. 1357. (g) Ibi N. 1372. (h) Ibi N. 862. (i) Ibi N. 2235. (k) document. Puechaimian. (l) Ibi N. 2463. (m) Ibi N. 3120. (n) Ibi N. 3149. (o) Ibi N. 3386. (p) Ibi N. 3532. (q) Ibi N. 3666. (r) Ibi N. 3698.

CAPUT VIII.

DYNASTÆ DE RAPPACH.

Illustrissimæ familiæ Rappachiaë hodiernum egregiè florentis adscribendus est Henricus de Rappach, qui apud Albertum Austriaë Ducem supremum Curiaë Magistrum egit, & Anno 1321. litteras quasdam dotalitias suo sigillo munivit. (a) Idem Henricus Anno 1324. in compromisso aliquo Arbiter constitutus est. (b) Porro Henricus aliquis de Rappach à Serenissimo Austriaë Duce Commissarius missus, de peracta rerum hæreditarium divisione, quas